



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Dominica Prima Adventus. Ad Evangelium de extremo judicio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194



DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

DE EXTREMO IUDICIO.

*Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum
Potestate magna, & Majestate. Luc. 21.*

VERITAS PRACTICA.

**Nemo Christianus Christi iudicio
condemnabitur, nisi qui prius suo
Christum iudicio con-
demnaverit.**

RATIO EST. Quia nemo Christianus condem-
nabitur, nisi qui prius Evangelicas veritates
neglexerit.

*Sed negligere veritates Evangelicas, hoc est
Christum iudicare & condemnare.*

*Ergo nemo Christianus Christi iudicio con-
demnabitur, nisi qui prius suo Christum iudicio
condemnavit. Quod certe est vel ad terrorem iu-
dicii concitandum, vel ad cultum Christiana
virtutis persuadendum, non parum efficax.*

I PUNCTUM.



Uæ duo plurimum valent ad
commovendos animos, Amor
& Timor, hodierna die, quæ
prima est anni Ecclesiastici, pro-
ponuntur ab Ecclesia cunctis fi-
delibus. Amor in primo Christi
Adventu quem celebrare incipit: Timor in se-
cundo, quem commemorat, dum exhibet E-
vangelium venturi ad Iudicium Domini. *Ps.*

*nno filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Psal. 33.
En Pater futuri sæculi, Princeps pacis, Christus
& Iudex vester quem servi timeatis, ne vobis
aliquando id exprobet: Filius honorat Patrem, Mal. 1.
& servus Dominum suum, si ergo Pater ego sum,
ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi
est timor meus?*

Et quidem tria hæc separatim possent ex-
pendi, meditando: scilicet, quanta in Patre vel
Fratre bonitas! quanta in Domino & Iudice
Justitia! quanta in nobis duritia qui nec Boni-
tate nec Justitia, qui nec amore nec timore mo-
veamur! sed fortè efficacius cum divina gratia
simul considerata valebunt, prout simul juncta
continentur Veritate Practica quæ idcirco at-
tentius consideranda proponitur. Quale enim
illud est, si ita est, quàm stupendum & ad om-
nem animorum inflexionem potens, si verum
est. Quod nemo Christianus Christi iudicio sit
condemnandus, nisi qui prius suo Christum iudi-
cio condemnavit! Itane Christianus Christum
iudicat? Itane Christus iudicium hoc patitur!
Itane impius non timeat Iudicem suum à se iu-
dicatum & condemnatum!

Quàm porò ita sit, hæc suadet Ratio; Ne-
mo præsertim ex Christianis, iudicio Chri-
sti damnandus est, nisi qui veritates Evangeli-
cas neglexerit vel audire, vel credere, vel serva-
re, Licet enim unum lethale peccatum sufficiat,

in quo quis mortuus condemnetur: possit autem Christianus in eo peccato mori quo nihil tale neglexerit: tamen ordinariè loquendo, vix ullus moritur non confessus; & vix ullus moritur in peccato qui ritè confessus sit. Quamobrem oportet eum qui in peccato moritur, & iudicio Christi damnabitur, vel non confessum esse, vel non ritè confessum. Quid est autem quod Christianum magis impediatur à recta Confessione, quam inordinatus affectus ad peccatum, seu ad rem amaram cui peccatum annexitur, quod non deponit in Confessione, & quo non deposito nulla est Coactio, nulla Confessio? Undenam verò ille inordinatus affectus, nisi ex neglecta veritate Christiana & Evangelica, quæ hunc depravatum affectum iubeat deponi aut temperari? Non enim ullum peccatum, inquit sanctus Augustinus, committi potest, nisi dum appetitur ea quæ Christus contempsit, aut fugiuntur ea quæ ille sustinuit. Quæ si vera sunt de ipso actu quo primo peccatum committitur, quanto veriora de ipso habitu seu habituali affectu, quo fit ut peccator peccatum confitendo non deponat! Talis enim habitus & affectus longè magis indicat oppositum Christo appetitum; Unde hoc tandem sequitur quod proponebat Ratio, Neminem Christianum iudicio Christi condemnandum nisi qui prius veritates Evangelicas neglexerit; vel non iis credendo, vel non se illis conformando, Desperavisti, inquit, omne consilium meum, & increpationes meas neglexisti. Ego quoque in interitu vestro ridebo & jubannabo, O formidandum risum.

I. de vera relig. c. 16.

Prov. 7.

II. PUNCTUM.

Sed negligere veritates Evangelicas, hoc est Christum iudicare & condemnare. Cum enim illæ veritates sint à Christo Domino, qui unumquemque Christianum his imbutum & conformem in vita & moribus esse voluit, profecto non possunt à quoquam negligi, quin simul iudicentur vel inutiles, vel indecoræ, vel incommodæ, vel nimis difficiles, aut nisi denique aliquam prætendant causam, aut illas negligat; nullam verò talem causam potest prætereire quin ipsum Christum iudicet. Nam vel causam illam putabit legitimam, vel nullam & simulatam: si legitimam putat habere causam cur negligat quod commendat Christus, certe hoc ipse iudicat Christum sine

causa illud commendasse. Nam si causa est & ratio cur illud commendat Christus, non est causa cur negligatur; aut si quid est quod rationabiliter negligatur, non est quod legitime commendetur; Non est Ratio apud Inferos, inquit sapiens, quasi diceret, non est ratio qua se damnati possint contra Deum defendere; alioquin sine ratione & immerito fuissent condemnati, quod est blasphemum cogitare. Unde & idem sapiens, Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.

Quod si nullam quidem esse causam affimet, cur Evangelicam Christi Doctrinam respiciat, sed merè gratis & liberè, quæ libertate se inordinato affectui mancipat, nonne & Christum iudicat minus dignum cuius dictis se conformet, quam mundum aut appetitum oppositum, cui mavult adhærere? Nonne & Christum condemnat quasi adversarium suæ libidini, & tali condemnat iudicio, quali suam probat libidinem? Licet enim iudicio, quod vocant speculativo, nihil tale de Christo cogitet, Iudicium tamen est practicum, id est, in praxi & re ipsa se ita gerit ac si iudicaret & damnavit Christum. Sic factis & vitæ suæ loquuntur qui vitam degunt à Christo alienam; Contrarius est, inquit, operibus nostris, & improperat nobis peccata legis: factus est nobis in translationem cogitationum nostrarum: gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alia vita illius. Unde & ipse Dominus, Me mundus odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera ejus mala sunt. Quem vero quis odit ut adversarium, nonne hunc iudicat & condemnat? O verè damnanda mundi opera, quæ veritatem condemnant!

Eccl. 9.

Prov. 27.

Sap. 2.

Ioan. 7.

III. PUNCTUM.

Nemo ipse Christianus Christi iudicio condemnabitur, nisi qui prius suo Christiano iudicio condemnaverit. Quia nemo condemnabitur nisi qui contra Evangelicas veritates peccaverit, in quibus observatis sicut Christus probatur & colitur, ita his neglectis iudicatur & condemnatur, tanquam oppositus & adversarius concupiscentiæ quam illæ impugnant & reprimunt Veritates. Esto, inquit, ipse Christus, esto consentiens adversario tuo citò dum es in via cum eo: ne ferè tradat te adversarius iudici. Quis est iste adversarius nisi sermo Domini, ut expressè habet glossa, & sanctus Augustinus.

Matth. 23.
Luc. 11.

aus, *Qui nobiscum est in via ut ad caelestem nos ducat patriam?* Sed est adversarius iis qui secundum proprias concupiscentias ambulat, ac propterea sicut illum repudiatur & iudicatur tanquam sibi adversarium, sic ab eo iudicandi tradentur summo Iudici. Quod & alibi expressius Ipse Dominus Iudex: *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicat eum: sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die. Cur porro iudicabit nisi quia neglectus ante est & ab illo iudicatus?*

Ioan. 12.

Atque hinc iterum vide, qualis injuria Christi est sic ab homine iudicari & condemnari! qualis ejus bonitas & patientia, tot à tantis & tanto tempore tolerare injurias! quale demum expectari potest iudicium, post talem in saeculo peractam vitam, quæ non nisi calumniam & probum Christo intulit? *Verum amen*, inquit, *Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite a me.* Potestne cogitare quale sit illud *interfici ante Christum* & non timere? Aut si mavis amore duci, potestne cogitare te ex inimicis illis unum esse, de quibus loquitur, & non confundi! te Christianum, te Religiosum, te Sacerdotem, inimicum esse Christi! Et ne dubites ita esse, ne putes tibi verba dari, audi quibusnam loquitur:

Luc. 19.

*qui noluerunt, inquit, me regnare super se: Andresne id affirmare, quod Christus super te regnet? Circumspice te ipsum intus & foris, à capite ad calcem, à mane ad vesperam, nulla deberet esse facultas animæ, nulla pars corporis, nulla vitæ actio super quam Christus non regnaret, ut dici posset regnare super te. Nam si vel una deesset, tu ex illa parte ab ejus regno subtractus esses, nec proinde super te totum regnaret. Estne verò vel una pars ita illi subiecta ut in ea vel solâ regnet? Regnatne in oculis, in lingua, in incessu, in desideriis, in gaudiis, & in negotiis? Nonne ibi potius concupiscentia prævalet, ut magis naturæ impetum quàm Gratia motum sequaris? Cur ita porro nisi quia non vis ita premi, quantum necesse est ut regnet in te Christus? *Confregisti jugum meum rupisti vincula mea: dixisti, non serviam.* Itane semper? Respicite hodie. Tibi tuisque precare & procura deinceps omni modo ut quod commendat Apostolus: *Doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrii, & iusti, & pie vivamus in hoc saeculo.**

Ier. 2.

Titi 2.

EODEM DIE AD HÆC CHRISTI VERBA:

Nunc Iudicium est mundi. Ioan. 12.

VERITAS PRACTICA.

Primus Christi Adventus, Mundano tam timendus quàm secundus.

Tam formidandum Mundo præsepe Christi nascentis, quàm Tribunal Judicantis,

RATIO EST, Quia idcirco secundus Christi Adventus est timendus mundano, & formidandum mundo est tribunal Iudicantis, quia tunc sententia est ferenda contra mundanos.

Sed in primo Adventu jam illa fertur sententia, jam in præsepe mundus iudicatur: nec minus terribenda est lata sententia quàm ferenda,

Ergo primus Christi Adventus mundano tam timendus est quàm secundus.

Ergo non minus jam formidandum est mundo præsepe Christi nascentis, quàm tribunal Iudicantis. Quod tamen pauci cogitant.

I. PUNCTUM.

RECTE omnino Sapiens: *Quia non profertur citò contra malos sententia, Eccle. 8 abique timore illo filij hominum perpetrant mala. Sed in illo sapientis dicto potest esse aliquid clarum, & aliquid dubium*

A 2

Luc

sive obscurum. Clarum nempe est quod filii hominum, id est mundani homines sine ullo timore peccent, *Non est timor Dei ante oculos eorum*; & clarum item est, quod idcirco tam liberè peccent, quod non statim ac peccant, puniantur; nam pro certo saltem timerent penam, & hoc timore coercerentur: *Veniat mors super illos, & discendant in Infernum viventes*, quasi diceret, si sic ageretur cum peccatoribus, ut statim morerentur & perirent, non tanti essent peccatores. Obscurum verò esse posset quod dicit, non citò proferri sententiam contra malos; Nonne jam in Scripturis prolata est contra illos sententia? Nonne jam judicati sunt qui non credunt? Nonne jam condemnati omnes peccatores nisi resipiscant? Nonne jam Christus dixit, *Nunc iudicium est mundi, princeps huius mundi jam iudicatus est*. Responsio est duplex; prima facilis & plana, quod cum dixit sapiens non proferri citò sententiam contra malos, id est, non eam illis declarari aut denuntiari, quasi jam jam sit exequutioni mandanda, sicut in iudicio proferretur. Alia vero responsio est, quod licet sit lata sententia in Scripturis, non illam tamen mundani intelligunt, illam audivisse dissimulant; vel quod ejus differatur exequutio, tam parum illa moventur quam si nulla esset. In quo certè vehementer errant, & ab illo sunt hodie revocandi errore, ut discant non minus verum esse quod jam prolata est contra illos sententia quam quod proferretur; neque minus esse timendam latam sententiam, quam ferendam; Ac proinde primum Christi adventum, cujus hodie memoria renovatur, non minus jam esse tremendum quam sit secundus, cum simul renovetur sententia qua mundani judicantur & condemnantur. *Nihil enim minus Præsepe Nascens habet quod formidetur, quam Tribunal iudicanti.*

Quæ proposita Veritas ut declaretur evidentius, primò præmittitur tanquam certum & indubitatum, quod si quid sit in secundo Judicantis Christi Adventu formidandum, sententia præsertim est, quæ contra peccatores proferretur. *O mi frater*, ajebat sanctus Augustinus, *numquid ferrea sunt carnes nostra, ut non contremiscant, volentiam sensus nosse adamansinus ut non mollescat, aut etiam minime evigilet ad illa Dei verba: Ite maledicti in ignem æternum? Quid faciam, dicebat Job, cum surrexerit ad iudicandum Deus, & cum quaesierit quid respondebam illi? Cum vix parvam stillam sermonis*

ejus audierimus, quæ poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri? Accipiet armaturam Zelus illius, & quæ plura profecit Sapiens ac universa Scriptura, quorum summam completens Apostolus; horrendum est, inquit, incidere in manus Dei viventi.

II. PUNCTUM.

Sed in primo adventu jam illa fertur sententia. Iam in præsepe mundus iudicatur; Nec minus timenda est lata sententia, quam ferenda.

Tria hinc distinctè declaranda essent, nisi vel essent satis perspicua, vel alibi reservarentur fufius explananda. Primum est, quid mundus? quid mundani? qui potissimum intelligantur? Nempe ii qui ex concupiscentiis inordinatè vivunt, juxta illud sancti Joannis crebrò à nobis usurpandum: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite*. Sic Divus Augustinus exponens illa Christi Domini verba; *Non pro mundo rogo, id est, eis qui vivunt secundum concupiscentiam mundi*. O quam multi!

Deinde verò, quod secundum esset demonstrandum, quomodo in Scriptura, in Evangelio, in præsepe, in primo denique Christi adventu sit contra mundum prolata sententia?

Nempe exemplo, & dicto, & facto. Sunt enim qui distinguant factum ab exemplo, quod factum sit aliquid latius & generalius quo exempla & dicta confirmantur, vel quo potentiora sint ad permovendos animos nostros. Nam præter exempla paupertatis, patientiæ, humilitatis, & contemptus mundi quæ nobis Christus edidit: modus præterea quo illa edidit est valde considerandus, videlicet in stabulo, in præsepe, in infantia, in virili ætate, in cruce & in aliis circumstantiis, ubi mirè elucet Divina ejus Sapientia & Bonitas quibus, ut dixi, dicta ejus & exempla roborantur. Quò enim sapientior est qui loquitur, majorem meretur fidem; Et quo est melior seu beneficentior, ac dignior qui nobis præest exemplo, eo nos efficacius ad se trahit. Atque horum trium respectu dixit Dominus, quod esset *Via, & veritas, & vita*.

Via in exemplo; veritas in dicto; & vita in facto seu merito quo & à Patre meruit gratias quibus operari possemus; & de nobis ita bene meritis est, ut ad se corda nostra rapuerit, ad id omne volendum & agendum quod possumus. Nunc autem quòd tribus hisce modis contra mundum sive mundanos sententiam tulerit, habes fufius expositum in opusculo, cujus

Pf. 13.

Pf. 54.

Ioan. 12.
Ibid. 16.

Exhort. ad
Gal. c. 55.

Iob. 31.
Ibid. 26.

Sap. 5.

Hebr. 10.

1. Ioan. 2.

Ioan. 14.

est.

est titulus; *Mundus oppositus Iesu Christo*; brevius vero in frān die Natalis Domini: Sed & videnti nascentem Christum & audenti prædicantem, quid clarius, quid apertius quam quod ait sanctus Bernardus: *In illis omnibus Iudicium mundi arguitur, subvertitur, confutatur*. Poteratne sententia ferri expressior contra Divites quam cum dixit: *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam Divitem intrare in regnum caelorum*. Quid contra superbos & ambientes manifestius, quam hoc ejus pronuntiatum: *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum*. Expende dictum, *abominatio est ante Deum*, quā sit efficax ad exprimendam mundi condemnationem. Et contra deditos voluptati & curis hujus vitæ, quid significantius quā quod affirmat imperatos illos morituros, venturum ad exigendam vitæ rationem Dominum & Judicem qua die non cogitent, & qua hora non putent, *Et partem illorum fore cum infidelibus & cum hypocritis*.

Serm. 3. in
Nat. Dom.

Matth. 19.

Luc. 16.

Matth. 24.
Luc. 12.

Quid est capitalem ferri sententiam in reum aliquem, nisi cum legitimus Judex probè cognita causa, pronuntiat talem mortis sententiam à qua nullus appellandi sit locus? At nonne Christus est legitimus mundi Judex? nonne de rebus probè judicat? nonne sic judicavit mortuum in peccato mundanum sicut sacri referunt Codices? nonne mori in peccato est condemnatum esse? nonne hæc est aperièlata sententia, semel, iterum atque amplius in eodem Scripturæ loco prolata: *In peccato vestro morimini*. Atque ut pateat quale sit hoc peccatum, quibusve sententiam mortis denuntiet: *Vos, inquit, de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis: ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccato vestro*. Et licet ibidem dicat se non judicare quemquam, nec venisse in mundum ut iudicet mundum, sed potius ut ipsum salvet; sic intelligendus est dicere quemadmodum jam supra declaravi, se non ita judicare mundum, quasi latam mortis sententiam poena statim sequatur, sicut quando extremum mundi fiet iudicium & suspenditur sententia, differtur executio; mori vult ante Judex, ne Reus moriatur, morte sua mortem peccatoris vult redimere, si peccator esse de mundo desinat. Sed si pergat mundanus esse, ne quid sibi de morte Christi præsumat & arroget; *Non pro mundo, inquit, rogo; Non applico ei mortem & merita mea, nisi ut resipiscat; cum alioquin nisi convertatur, tam*

Joan. 17.

directè simus oppositi, quā quæ superna sunt his opponuntur quæ de deorsum sunt.

Hæc est itaque Christi sententia tam apertè lata contra mundum & mundanos, quā apertè patet ex ejus dictis & factis mundum esse damnatum, Quod disertè confirmat Apostolus dicens, *nos à Domino corripit, ut non cum hoc mundo damnemur*.

1. Cor. 15.

Restat tertium exponendum, quod non minus timenda sit lata sententia quā ferenda: sicque expeditur facillimè si quod verè timendum est in sententia tum lata, tum ferenda discutimus. Quid est quod timemus à Judice? Poenam inquit inferendam, hanc hoc tantum? Nihilne times Christum nisi poenam inferret? Tene unus servilis tenet timor? non times culpam quæ tanto est gravius malum, quanto Deus qui culpā offenditur, major est homine qui poenā punitur? Sed esto, times poenam, nonne ex lata sententia jam te agnoscis puniendum? nonne suum æquè prima sententia sortietur effectum ac secunda, cum hæc secunda sit primæ tantum executio, & utraque sententia vel lata vel ferenda sit ejusdem culpæ poena? Nonne constat hominem non aliter esse reum poenæ quā culpæ? Nonne unus & Idem in nobis est utriusque reatus? Nonne propterea si reus poenæ poenam timet, poena illi timenda est statim atque reus est culpæ, aut cum denunciatus est reus poenæ? Quid quod, rectè sentienti de rebus, non tam grave est, aut probrosius judicari, vel puniri, quā fieri poena dignum: & hoc unum in poenis vel maximè discernatur, quænam sit causa poenæ: unde aptè sanctus Augustinus in illud Psalm: *Intende iudicio meo, Deus meus, & Dominus meus in causam meam. Non in poenam meam, inquit, sed in causam meam*.

Psal. 34.

At dices, non moveri potentiam nisi præfenti objecto, & longè disparem esse rationem poenæ jam jam infligendæ, & illius quæ futura est aliquando, vel fortè numquam futura, mutato nempe sermone statu, seu mundano converso. Responderi tria debent huic dicto. Primum est, futurum illud de quo est quaestio, esse ex una parte tam certum, tam grave & momentosum, quale est in aeternum damnari: ex alia vero tam incertum, tam fragile & quavis hora futurum, ut non sit Sapientis nec Christiani non timere in tam certo periculo rei tam incertæ; cum præcipuè Christus expressis edixerit verbis, velle se unumquemque nostrum ita

para-

paratum esse quovis tempore, ut nisi sit semper paratus, numquam paratus sit, quia ut dictum est, diciturque alibi fufius, tunc ipse veniet quando minus erit paratus. *Si non vigila-veru veniam ad te, tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.*

ApoC. 3.

Secundum est, quod Fides si vera sit, habet hoc proprium, ut res absentes & futuras tanquam presentes sistat, & earum perinde producat affectum in parte rationali superiore, ac si oculis cernerentur. Idcirco definitur ab Apostolo *fides sperandarum* (seu futurarum) *substantia rerum, argumentum non apparentium.* Græcè est hypostasis, id est, substantia & existentia rerum futurarum, quasi eas faciat subsistere, & tam presentes exhibeat, quantum ad suum effectum, sicut si revera existerent, unde ibidem de Mose dicitur quod *sido invisibilem tanquam videns sustinuit*: sicque apparet veram in eo non esse fidem, qui se ait futuris non moveri ac presentibus, cum præcipue quod quaeritur, non sit motus sensibilis appetitus, non sit timor ut est humana passio, sed sit affectus rationalis, sit virtus animi, sit illa virtutum prima quæ est Timor Domini quæ est expultrix peccati.

Hebr. 11.

Tertium denique est, quod dum mundanus ait non futuras fore poenas, mutato rerum statu, seque in melius quod bene sperat converso concluditque propterea non esse quod sibi timeat, falsissima est consequentia ex incertissimo antecedenti; Nam dato etiam quod mutandus esset, irane propterea non esset timendus Deus quem mundanus semper videret à se offensum, quamdiu mundanus esset? Putatne in damnatis esse aliquid gravius, quam quod videant Deum à se offensum & sibi valde infensum? Sentiant illi quidem hanc poenam quæ nullo hic sensu percipitur, sed cum ex fide certum sit æquè à Mundano Deum esse offensum & à Deo Mundanum condemnatum sicut si jam ipsis esset poenis additus, potestne Mundanus id credere & non pavere, & non fateri saltem sibi esse timendum? Quid est non timere in illo statu nisi præsumere, nisi laram Judicis irridere sententiam, aut ipsum Judicem spernere vel quia non possit quod minatur exequi, vel quia nolit, quia bonus est, quia patiens & misericors & longanimis. Quæ cum sint tam horrenda, quis non videt eo ipso magis esse timendum peccatori quod minus timet? Sic enim abutendo thesauris divinæ bonitatis,

*thesaurizat sibi iram in die ire, & tantum abest ut quod ait non sint futuræ poenæ, quin longè futuræ sint graviores: tantum abest ut mutetur rerum status, seque convertat, quin semper in peius ruat, & tamò difficilius respiciat, quantum se posse facilius finxit. *Ve qui pradaris, nonne & ipse pradaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris? cum consummaveru depraedationem, depraedaberu: cum fatigatus desieru contemnere, contemneru.* Verè enim depraedatur Mundanus qui audita mortis suæ sententiâ nihil timet propter tempus sibi datum, & concessas gratias quibus averat illam mortem: nam sibi tempus illud illasque gratias invito malè usurpat Domino, sicque propterea verè etiam depraedabitur, quando auferentur illa dona quibus abutitur, tandemque fiet quod dixit Dominus: *Omni habenti dabitur & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur.**

Rom. 2.

Isa. 33.

Luc. 19.

III, PUNCTUM.

P R I M U S ergo Christi Adventus Mundano tam timendus quam secundus.

Nec minus formidandum est Mundo præsepe Christi nascentu, quam Tribunal judicantiu. Ne dilatione inortis aut poenæ consequentis timorem Mundanus differat, jam enim lata est sententiâ, & quod timeret in illa quam futuram & ferendam credit, hoc ipsum in lata timeat; nam idem ipse est Judex & Dominus qui mundum judicavit & judicabit: Idem est crimen, esse de mundo & tuisse. Eadem donique poena est decreta Reo, sed non idem poenæ sensus; hoc solum interest fateor, at non propterea minuendus est timor; nam si ex hac parte motivum timendi deficit, augetur ex alia. Dum enim consideratur Christus tam multa facere & docere contra mundum, profecto magis inde agnoscitur quam grave sit, esse de Mundo, quam dum poenam Mundanus sentiet. Plus est Christum jacere in præsepe, ne sis mundanus, quam te in Inferno volutari, quod fueris. Ex Christo passio propter crimen meum, magis agnosco gravitatem mei criminis, quam si ipse propterea paterer quasvis poenas. Sic disertè S. Bernardus in tertio de Natali Domini. *Ex consideratione remedii, periculi mei aestimo quantitatem, Nesciebam sanus mihi videbar, & ecce mittitur Virgini Filius, Filius Dei altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meo pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce ô homo quàm*

quam gravia sint vulnera, pro quibus necesse est, Dominum Christum vulnerari! Sed quid prodest agnoscere, nisi ut tanto magis timeas culpam & poenam, quanto magis agnosceis esse timendam? Quam clara & aperta voce modo infantiles panni clamant contra mundum, & de culpa mundanos arguunt; tam disertè & graviter contra clamabunt in Iudicio, & pœnas postulabunt durissimas; *Ego sum iudex & testis dicit Dominus.* Sicut Maritta quidam Diaconus apud Victoriam Uticensis contra Elpidephorum virum mundanum, quem susceperat in baptismo, dicebat de linteis quæ tum erant adhibita; *Hæc sunt lintea Elpidephore, qua te accusabunt dum Majestas venerit iudicantis, custodi-ente diligentia mea, ad testimonium tuae perditionis.* Sic plane de Christi pannis, de Christi verbis & factis: *Hæc sunt verba & facta, Mun-*

dane, qua te accusabunt, te iudicabunt, te condemnabunt, quia hæc sunt qua te modo accusant, iudicant, & condemnant. Non erit aliud de mundo Christi iudicium quam quod fuit. Ex primo jam factò iudicio, timendum est secundum quod fiet, quia primi est effectus consequens. Ex secundo quod fiet, timendum est primum, quia ejus est causa præcedens. Sic autem utrumque timebitur, si quod est in nobis mundanum & sensuale, tollatur. Non est verus timor otiosus, sicut nec amor; magna operantur ubi sunt, non coactè sed spontaneè secundum Deum, sed voluntariè. Aut si operari renuunt, nec timor nec amor est. Sic loquitur & sic facit, ait sanctus Jacobus, sicut per legem liberati, incipientes iudicari; Quasi si jam iudicari minime, quia jam revera iudicium incipit ex hac vita, quod in alia perficitur.

1. Pet. 5.

1. Cor. 2.

E O D E M D I E.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Nihil in futuro iudicio magis metendum Peccatori, quam quod minus metuit.

QUATIO EST, Quia in futuro iudicio nihil minus metuit Peccator quam benignitatem Christi.

Sed nihil est magis metendum Peccatori quam illa Christi benignitas.

Ergo in futuro iudicio nihil est illi magis metendum, quam quod minus metuit.

Decelatur hæc ratio subtilissimè in 3. parte, Sabbato post Dominam secundam Pentecostes, ubi demonstratur quam sit Agni formidanda ira, juxta illud Apocal. 6. *Abcondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.*

Vide his conformes alias veritates, notatas in Indice, verbo Iudicium, Timor, &c.

E O D E M D I E,

DE DVPLICI ADVENTV
CHRISTI DOMINI.

*Erunt signa in Sole & Luna, & stellis, & in terris
pressura Gentium. LUC. 21.*

VERL.

VERITAS PRACTICA.

Sicut ad secundum Christi Domini Adventum renovabitur mundus, ita modo animus noster æque est renovandus.

RATIO EST, Quia tantum debemus Bonitati Dei qua apparuit in primo ejus Adventu, quantum ejus Potestati qua exercebitur in secundo.

Sed Bonitas ejus exigit à nobis ut modo sic renovemur.

Ergo sic modo est renovandus animus, atque cum mundus divina potestate renovabitur.

I. PUNCTUM.

Rom. 13.

Hora est jam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus quam clem credidimus: Sic olim Apostolus nascentem Ecclesiam, sic modo ut renascamur & renovemur, Ecclesia nos excitat, primo hoc sui renovati anni die; quasi si de somno surgeremus. Nox precessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Quænam sunt illa opera? quænam arma? exquire.

In hunc etiam finem, opportunè Evangelium de secundo Christi adventu, cum mundus universus renovabitur, At quo renovabitur modo? exponde, ut sic discas hodiernam renovationem instituire. Sicut enim manente rerum substantia, res omnes immutabuntur, iidem cæli, eademque terra, sed aliter affecta omnia, atque in meliorem statum ita erunt immutata ut dicantur novi cæli, nova terra, & nova facta omnia: *Mutatione, non abolitione sui*, ait S. Hieronymus: Sic planè nos non alii quam nos ipsi, & tamen alii per renovationem effici-mur, non alii scilicet erimus in substantia rerum agendarum, sed in modo agendi; Eadem quippe nobis semper seu devotionis seu ministerij nostri sunt explenda officia, sed non eodem modo, non somnolentè ut alias, non negligenter & perfundorè, sed religiosè & perfectè. Sicut in resurrectione corpus idem nostrum erit, sed non quale modo est, non corruptibile & mortale, *Surgat enim spirituale*, inquit Apostolus; ita ex S. Gregorio, *vetusta vita proximi usum mutat, si anima superno spiritu afflata, & in summo appetat quod contempserat, & contemnat in infimo qua appetebat.*

1. Cor. 15.

1. 27. Mor. c. 13.

Hoc est renovari mente, hoc est resurgere animo, hoc est quod ex veritate proposita, jam eniti debemus cum Gratia quæ hoc ipso se offerro danda est in hunc finem, quò nos amantèr invitat, ut tam voluntariè & libenter resurgamus, quàm necessariò resurgendum erit corpore, ad postremum Judicij diem. Neque enim minus debemus Bonitati divinæ, quàm Potestati. Cogita quanta sit illa Bonitas quæ apparuit in primo Christi Domini Adventu, in Incarnatione, in Nativitate, in Infantia, in Pueritia, in Conversatione, in Exemplis, in Miraculis, in Passione & in morte. Nonne hæc tibi bonus Dominus? nonne hæc Bonitas tantum de te meretur, quantum Justitia, quantum

S. Bonna.

Mag-nus Dominus & laudabilis nimis, parvus Dominus & amabilis nimis.

II. PUNCTUM.

At qui hoc Bonitas à nobis exigit ut sic modo renovemur.

Id quidem sæpius exigit prout ipsa necessitas postulat, sed cum hodie renovetur memoria primi illius Adventus, quo factus Homo Deus, *In terris visus est, & cum hominibus conversatus*; quid aptius à nobis exigere seu postulare concipiendus est, quàm quod primo illo suo Adventu, à Mundo magis postulavit? Quid est autem quod à mundo suis in vitis inveterato & senescenti magis postulavit, nisi ut reformaretur & renovaretur? Est enim novus ille homo cunctis hominibus induendus, depositio veteri cum actibus suis, ut toties monet Apostolus. Itemque aptè S. Gregorius, *Quia Dominus ac Redemptor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo, vita enim veteri nostræ in vitis enutrita contrarietatem opposuit novitæ suæ.*

Bar. 3.

Ephes. 4. Coloss. 3.

Hom. 12. in Evang.

Sicque evidenter apparet illud ipsum esse quod à nobis modo postulat, nisi fortè putes nihil in te jam residere quod renovetur, An illud putas?

III. PUNCTUM.

Sicut igitur ad secundum Domini Adventum renovabitur mundus, ita modo animus noster æque est renovandus. Quia videlicet tantum debemus Bonitati Christi quæ hanc modo animi renovationem à nobis exigit, quantum e-

jue

ius Potestati debetur quæ resurrectionem corporum & totius mundi immutationem imperabit. Esto enim non cogat necessitas Bonitas, sicut cogit Potestas; minusne propterea illi debetur? Nihilne ultra & sponte concedes roganti Domino? Nonne indignum generoso pectore suo expectare donec cogaris? Nonne illud pudendum, quia Libertati tuæ relinquet dare quod rogat, idcirco deneges? Nihilne Benignitati, nihil Bonitati dabis? An minus modo meretur Christus quam tunc merebitur, quia modo bonitate magis, quam potestate tecum agit? An ignoras te eò magis cogi quò minus cogeris, cum strictiora bonæ voluntati sint vincula Charitatis quam necessitatis? Nonne idcirco sic Christus Dominus primo venit mansuetus & humilis ut te amore devinceret, sic te attraheret in funiculum Adam, in vinculum Charitatis? ò dignum Christo finem! ò dignum sine tam nobili Christum! sed ò me indi-

gnum & Christo & tali fine, si non commoveor! Ecce cælum, inquit Sapiens, & cæsi cælorum, abyssus & universa terra in conspectu illius commovebuntur, montes simul & colles & fundamenta terræ cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur; Et in omnibus his insensatum est cor! Appareat anima mea, appareat hodie gratia illa Salvatoris, Quæ apparuit omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegares impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè & piè vivamus in hoc sæculo. Et sicut erunt signa in Sole & Luna & stellis, sic in mente tua, sic in corpore, & in minimis quibuscunque gestis seu vitæ negotiis, signa sint animi renovati.

Converte nos Domine & convertemur, innova dies nostros sicut à principio: Adjuva me Domine Deus in bono proposito, & da mihi nunc hodie perfecte incipere, quia nihil est quod hæcenus feci.

Ecclesi. 16.

Tit. 2.

Thren. 5.

L. 1. de imit.

Ch. c. 19.

Os. 11.

HAC HEBDOMADE, in considerationem venientæ Personæ quæ proprius spectant & attingunt Mysterium Incarnationis Christi Domini.

FERIA SECUNDA.

DE ÆTERNO PATRE FILIUM NOBIS DANTE.

Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret. Ioan. 3.

VERITAS PRACTICA.

Sic Deus dilexit mundum, ut sic mundus diligeret Deum sicut dilectus est.

Sensus hujus particulæ sicus, atque adeo totius Veritatis hic est, quod quemadmodum Deus mundo suum indicavit amorem, donando ei Filium, quem unicè diligebar, sic mundus Deo suum indicet, donando ei quod carius & pretiosius habuerit; Ad hoc enim tenetur ex illa dilectione Dei qua præventus est per donum Filij.

RATIO EST, Quia Deo nobis indicanti suum amorem, tenemur ei nostrum indicare quo fieri potest convenientiori modo.

Sed non est modus convenientior, quam donando ei quod carius & pretiosius possidemus.

Ergo illi donandum est, sicut diligendus Deus: sicut nos diligit. Quod certè est rarum & pretiosum.

I. PUNCTUM.

QUOD primum in tota Incarnati Verbi æconomia considerandum venit, æterni Patris est Charitas nobis donantis Filium suum, Sic Deus dilexit

B

dilexit mundum. Nihil aliud Eum movit, quam dilectio, & certe magna dilectio, quam ipse admira ut Filius, Admirare cum illo.

Secm. 83.
in Cant.

Tantæ vero Charitati quid debetur, nisi par Charitas, quanta quidem in nobis esse potest? Nam ut ait S. Bernardus: *Cum amat Deus, non aliud vult quam amari, quippe non al aliud amat, nisi ut ametur.* Quænam vero par esse potest & convenientior Charitas nisi donando ei quod habemus carius sicut Ille Charitatem suam nobis ostendit donando Filium suum?

Ad hoc certe tenemur ex illa Charitate, atque ad hoc pertolvendum debitum excitamur ex proposita Veritate, cuius hoc est fundamentum primo statuendum, Deo nobis indicanti suum amorem, tenemur ei nostrum indicare quo fieri potest convenientiori modo, id est, tam simili & æquali, quantum Deo & nobis convenire potest. Quid iustius? quid rationabilius? Nam si amor non nisi amore reciproco compensatur, ut infra videbitur, quomodo potest intelligi illa amoris reciprocatio, nisi paribus aut consimilibus amicitiae signis? Unde dilectus Discipulus cum de perfecta Dei Charitate sermonem intulisset sic pergit; *Qui dicit se in ipsa manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare;* quasi diceret, debet se gerere erga illum, sicut ille se gessit erga ipsum; Quod & apertius Idem: *Non diligamus,* inquit, *verbo, neque lingua, sed opere & veritate;* In quem sensum Apostolus, *Et hoc oro ut Charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientiâ & in omni sensu, ut probetur potiora.* Vellesne huic orationi oblitere, constringendo Charitatem tuam?

1. Ioan. 2.

Ibid. 3.

Phil. 3.

II. PUNCTUM.

SED non est modus convenientior quo possis Deo indicare tuum amorem, quam Ei dando quod carius habes.

Ipsè enim modus quo Deus suum manifestavit, donando nobis Filium, nam licet multa jam dedisset hominibus, nihil æquè tamen ad amorem indicandum fuit, ac donum Filij. Ratio est manifesta, quia quò donum est magis proportionatum donanti, quò est illi carius, & quò utilius cui donatur; eò certe est clarius amoris indicium. At nullum tale donum est à Deo datum hominibus, in quo hæc condiciones reperiantur quàm donum Filij.

Primò enim, quàm habent proportionem creata omnia cum Creatore? Unigenitus vero Patris, ipse est æqualis Genitori. Deinde quis dicat terrena hæc & caduca omnia, multum esse cara Deo qui plura ex illis dat inimicis quam amicis? Filius vero Dei, *Hic est Filius dilectus,* in quo sibi bene Pater complacuit. Denique quis temporalium usus? quænam eorum utilitas præ utilitate & necessitate Domini Jesu? Esto enim desint temporalia, esto desit ipsa vita temporalis, quid damni si succedit æterna? At si æterna pereat, quale pat damnum? perit et autem nisi datus esset Jesus. Unde patet evidenter solum hoc esse donum, quo ex certissimis notis divinus amor in homines indicari possit. Quod videbatur innuere Apostolus cum diceret, *Quomodo non etiam cum illis omnia nobis donavit?* Ac prævidè hinc etiam liquet, non esse modum convenientiorem quo suum homines amorè in Deum possint indicare, quàm si quid Deo dovent quod habuerint pretiosius & carius, ipsique Deo gratius; quia hoc est commune omni amorì, ut sic se indicet & non aliter. *Nunc cognovi,* inquit Deus Abrahamo, *quod times Deum, id est, colis & diligis, & non peperisti unigenito Filio tuo propter me.* Videlincertum amoris indicium in dono rei charissimæ?

Matth. 3.
& 17.

Rom. 8.

Genes. 22.

III. PUNCTUM.

HOC est igitur quod Deo dare debemus. hoc est quamobrem sic Deus dilexit mundum donando ei Filium suum unigenitum, ut sic mundus diligeret Deum, donando Ei quod carius & pretiosius habet. Nam si, ut primò probatum est, Deo nobis indicanti suum amorem tenemur & nostrum indicare, quo fieri potest convenientiori modo; quis convenientior modus esse potest, quàm quo ipse Deus est usus, ut nos exemplo sui provocaret? Sic divina dilectionis discipulus: *In hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* In hoc est Charitas: quasi diceret, hæc est forma, hoc exemplar charitatis exhibendæ: Unde & concludit, *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Id est, quia nos præveniens amore suo, sic affectum nostrum excitat ad eum redamandum, ut simul intellectum instruat quomodo eum redamare possimus; & simus inexcusabiles si tanto delictum debito.

1. Ioan. 4.

Explo.

Exprome itaque anima quod habes carius, quod pretiosius, sive sit pecunia, sive fama, seu parentes, aut sanitas, seu ipsa vita humana. Vide si quod eorum sit quod Deus à te velit, an sis parata dare; nullus alioquin est in Deum amor. O pudor! O probrum! Deus proprio

non parcat Filio, ut mihi suum amorem im-
petet, & parcam famam! Exardescere contra. Nulla
maior est ad amorem invitatio, quam prave veni-
re amantem, inquit sanctus Augustinus. *De Catech.*
mi durus est animus qui si dilectionem noscebat rud,
impendero, nolit respondere.

FERIA TERTIA.

DE FILIO DEI SEIPSUM OFFERENTE.

Tunc dixi, ecce venio. Ps. 39. Hebr. 10.
Oblatus est, quia ipse voluit. Isa. 53.

VERITAS PRACTICA.

Quam in se attrahit gratiam qui se Deo libens offert, eandem sibi detrahit qui quod offert non reddit.

RATIO EST, Quia qui se Deo libens offert, idcirco multam in se Gratiam attrahit, quod bonam indicet voluntatem quam precipue respicit Deus in oblatione nostris, & quam qui subtrahit, talem sibi detrahit gratiam. Sed qui non reddit quod offert, subtrahit illam bonam voluntatem.

Ergo & quam in se attrahit gratiam qui se Deo libens offert, eandem sibi detrahit qui quod offert non reddit. Quod ne damnum eveniat, probe est intelligendum, quod si ut oblatio nostris debet esse affectiva, ita & effectiva, exemplo Christi Domini qui hoc ipsum perfectè fecit ad quod se obrulit.

I. PUNCTUM.

HÆC illa est Divina Persona quæ dicitur Verbum quod Caro factum est, de quo infra toti. Nunc verò quàm se libenter obtulerit, contemplare. Primò quidem quando cum aliis sanctissimæ Trinitatis Personis consensit in reparationem ge-

neris humani per divinam Incarnationem. Deinde quo primo momento est Incarnatus, ut ait Apostolus ex Psalmista, *Ingressus mundum dicit, hostiam & oblationem noluit, corpus autem apraxi mihi.* *Hebr. 10.*

Demique dum inter homines ageret, sic sæpius aut singulis pene momentis sese offerebat pro eorum salute. Irane Domine memor mei fuisti? Fili, ne dubites. Admirare & gratias age.

Et verò sic nos ipsos offerre decet; Sed quod caput est, id omnino efficiendum est ad quod nos obrulerimus: cum alioquin nulla futura sit oblatio, nullus inde fructus, & nulla Gratia. Sic Christus Dominus opus suum perfectè consummavit; Nos vero quam faciles sumus ad acceptandum, tam faciles ad deponendum; Quam obrem valde consideranda Veritas quæ de effectu monemur, perinde necessatio ad oblationem & gratiam, sicut affectu.

Cur enim affectus est necessarius? Cur affectiva debet esse oblatio nostris? Nonne ut sic pronam & propensam voluntatem nostram in obsequium Dei declinemus? hoc est enim maxime quod respicit in omnibus, ac precipue in iis quæ sibi offeruntur. *Omnia, inquit, voluntarius & prono animo offerat primitias Domino; Tum postea: Obrulerunt mentis promptissima atque devota primitias Domino, Rursumque* *Exodi. 35. Ibid.*

Hom. 5. in
Evang.

sumque ibidem, Omnes viri & mulieres mente devota obulerunt donaria. Denique notum illud, S. Gregorij, Nihil offertur Deo dicitur voluntate bona: quia scilicet tantam in se attrahit Gratiam, ut quam bona est Deo præveniente voluntas, tam dives est & abundans celestibus donis, Deo subsequente. Da mihi Domine quod tibi offeram. Fili, jam multa satis à me habes quæ tu inique tibi usurpas.

II. PUNCTUM.

SED qui Deo non reddit quod offert, bonam illam voluntatem subtrahit, neque potest dici bona & propensa voluntas nisi sit effectiva simul atque affectiva. Id est, nisi sic efficiat aut ita conetur efficere cum Dei gratia quidquid efficiendum suscipit, ut si non fiat, sit potius defectus potestatis quam voluntatis.

Prov. II. 13.

1. p. q. 19.
a. 6.

Hoc est enim proprie velle quando si quod possis & debeas, id omnino efficias; cum è contra si quod potes & debes efficis, non potes vere dici illud velle. Cur enim non efficis nisi quia non vis, cum ut supponitur illud possis & debeas. Sic in proverbij dicitur, vult & non vult piger: vult ex quadam rei complacentia, sed quia non operatur non vult absolute & proprie. Magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas, inquit sanctus Doctor.

2. 2. q. 19.
a. p.

Quod præcipue verum est coram Deo, & in ijs quæ Deus vult ut agamus. Si enim defectu voluntatis illa non agimus, quomodo talis defectus voluntas poterit esse bona, quæ non erit conformis Divinæ? Quid est enim esse bonum, nisi quod est conforme ad propriam regulam & mensuram? Quænam est autem regula & mensura nostræ voluntatis nisi divina? Sic Idem sanctus Doctor concludit nullam proinde esse humanæ voluntatis bonitatem, nisi ex conformitate ad Divinam; ac proinde etiam nisi sit effectiva voluntas, non sit omnino bona, quia non sit conformis suæ regulæ. O quam pauci homines bonæ voluntatis, qui putantur multi!

III. PUNCTUM.

QUAM ergo in se attrahit gratiam qui se Deo libens offert, eandem sibi detrahit, qui quod offert non reddit; Quia subtrahit bonam voluntatem cuius defectu sæpius denegantur Gratiæ quæ in eius considerationem collatæ vel conferendæ essent. Dixisti, ecce de labore, & ex sufflatis illud, dicit Dominus exercituum. Exsufflatur nempe quod offertur quando eum reddi debet, non redditur, siquæ nulla est oblatio, nisi sit ex æquo effectiva atque affectiva. Nã si debet esse affectiva ut, oblationi jungatur bona voluntas sine qua non esset accepta oblatio: certe idcirco etiam debet esse effectiva, cū sine effectu non esset bona voluntas. Ad quid enim & quorsum te offers, nisi ad aliquid agendum aut patendum? Sed quid prodest te offerre nisi revera id velis ad quod te offers? Aut quando indicabis te velle, nisi cum se dederit occasio, sic agas & patiaris, sicut promissisti? Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conversi sunt in die belli. Nonne tu ex illis qui multa proponunt & pauca faciunt, qui dum nihil patiuntur, fortes sunt & ad omnia validi, cum autem minimum quid adversi occurrerit, statim deficiunt. Ecce deruisti multos & manus lassas roborasti, nunc autem venit super te plaga & defecisti, tetigist te, & conturbatus es. Vbi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua & perfectio viarum tuarum? Responde & confunde. Satius esset non affici ad efficiendum aliquid, quam id non efficere ad quod affectus es. Eo Domine, inquiebat Patri Filius, & non iuris, alter vero idem iustus, nolo, inquit, & fecit voluntatem Patris? Christus est Dominus qui interrogat, Vide quid respondeas, & Cave ne ex ore tuo te iudicet.

Malach. 1.

Ps. 77.

Iob 4.

Matth. 23.
1. a. 53.

Videri possunt quæ habentur infra Feria 2. post Dominicam 4. Adventus: & vicesimo nono die Decembris.

FERIA

FERIA QUARTA.
DE SPIRITU SANCTO, QUANTVM
AD OPERATIONEM MYSTERII
INCARNATIONIS.

*Spiritus Sanctus super-veniet in te. Luc. 2.
Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Act. 7.*

VERITAS PRACTICA.

Quam raro cogitas Christum, tam crebro resistis Spiritui Sancto.

VEL SIC.

Nulla in re frequentius Spiritui Sancto resistitur, quam quod infrequentius de Christo cogitur.

RATIO EST, quia in eare frequentius Spiritui Sancto resistitur, ad quam impellit frequentius.

Sed nulla res est ad quam impellat frequentius, quam ut de Christo cogitur.

Ergo nulla in re frequentius Spiritui Sancto resistitur, quam quod de Christo non frequentius cogitur. Quod certe est praevendum.

I. PUNCTUM.

LICET tota Trinitas sit operata Mysterium Incarnationis, dicitur tamen hoc Opus speciale Spiritus sancti, quia opus est singulare Bonitatis quæ specialiter attribuitur Spiritui Sancto, sicut Patri potentia, & Filio sapientia. O vere opus singulare bonitatis! Ille ipse est autem Spiritus Sanctus, illa ipsa est bonitas quæ fidem, devotionem, & alios pietatis affectus circa hoc Incarnati Verbi mysterium in mentibus nostris operatur; O quæ & quanta suggerit, si audieris! Verum, cum in multis alijs, tum in hoc

præcipue parum attenditur. Unde & ipse per Prophetam, *Quis credidit auditui nostro, & Is. 53. brachium Domini cui revelatum est?*

Hinc nata Veritas valde expendenda, *Quam raro & infrequentius Christum cogitamus, tam frequentius resistimus Spiritui Sancto.*

¶ Et Ratio quidem aperta est, cum liquidò pateat tam crebro nos universim divinis illius monitis resistere, quam illa frequentiora sunt: tum verò particulatim unumquemque frequentius in re singulari sese illi opponere, in qua frequentius ab eo commovetur. *Induraverunt cervicem suam ne audirent me, & acciperent disciplinam. Quare aggravatis corda vestra sicut aggravavit Aegyptius & Pharaon eorum suum! Dura exprobratio.* 1er. 17.
I. Reg. 6.

II. PUNCTUM.

SED nulla res est ad quam nos universim Spiritus Sanctus impellit frequentius, quam ad cogitationem de Christo Domino, variisque inde consequentes affectus. Ad hoc enim præcipue emissus, ut ipse Christus Dominus ait, *Cum venerit Paraclitus quem Ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, illa testimonium perhibebit de me. Ille me clarificabit quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Unde & Apostolus vocat eum Spiritum Filij, dicens; *Mi sit Deus spiritum Filij sui in corda vestra.* Cur porro Filij potius quam Patris? quia scilicet totus est in Filio Patris clarificando & celebrando. Ioann. 15.
& 16.
Galat. 4.

Atque hinc fit ut cum Apostoli pleni essent Spiritu

AA. 8.
3 p. q. 66. a. C.
AA. 18.
in Cant. ser. 15. 20. 22. 43.

Spiritu sancto eique fideliter obedirent, nihil nisi Jesum prædicarent nihil saperent dulcius nihil loquerentur aut commèdarent frequentius quàm Dominum Jesum. Quod ita verum est ut licet forma baptismi sit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, illi tamen in solo nomine Jesu baptizasse dicuntur, quod ut ait S. Thomas sic nomen Christi magis honorabile reddebatur. Hinc Apollo vir ille Apostolicus, cum primò conversus esset, & fervens spiritu loqueretur, docebat diligenter ea quæ sunt Jesu, inquit scriptura, sic consequenter spirituales Viri, quo magis spirituales, & à solo Spiritu ducti, eò magis toti in solo Jesu.

Sic instar omnium testis S. Bernardus qui, *si scribas, inquit, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes, inquit, aut conferas, non sapit mihi nisi sonaverit ibi Jesus. Jesus melior ore, in aure melior, in corde tubilus, seu est & medicina.*

Tum verò sicut de suavitare simul conjuncta cum utilitate hujus Nominis pergit dicere, unde hæc deduci ratio facile potest, cur Spiritus Sanctus frequentiore de Christo cogitationem inducat, quia videlicet nulla est potentior cogitatio, ut quæ suavis simul & utilis esse, seu ad malum evitandum, seu ad bonum faciendum sentiatur. Expende amplius quam vera sit & potens ista ratio, & agnosce quàm crebros senseris de Jesu motus, O si in Tyro & Sidone exciati fuissent!

III. PUNCTUM.

NULLA ergo in frequentius Spiritus sancto resistitur, quàm quod infrequentius de

Christo cogitatur: Cum in his præcipue rebus Ei resistatur ad quas impellit præcipue. Neque sit aliud ad quod impellat frequentius quàm ut de Domino Jesu cogitatur: Unde est illud Apocalypsis frequentissimum: *Spiritus & Sponsa dicunt, Veni. Et qui audit, dicat, Veni.* *Apoc. 22.* Et post pauca, *Etiams venio cito. Amen: Veni Domine Jesu.* Atque hinc tantopere in Galatas movebatur Apostolus quod de Christo sibi prædicato nonnihil remississent: *O Insensati, qui vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus præscriptus est, in vobis crucifixus? Oportet certe esse insensatum, sic resistere tam crebris & validis Spiritus sancti motibus in re tam nobili, tam necessaria, tam facili, & delectabili. Si tibi sublimia quædam & difficilia intellectu proponeret, si dura & aspera voluntati, certe obedire deberes, cum ille non deesserit auxilio. At quænam tibi proponit? Jesum Infantem in Virginis utero, Nascentem in stabulo, vagientem in cunis, fugientem in Ægyptum, laborantem in Nazareth, docentem Jerosolymis, conversantem cum hominibus, patientem ab Inimicis, morientem in Cruce, regnantem in Cælo, venturum ad Judicium. Hæc ut cogites, ut loquaris, & in mores tuos inducas, exhortatur. Quid hic adeò difficile & arduum ut te excuses! tamen unam hanc cogitandi de Christo difficultatem accusas! O probrum! O pudor! Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum!* *1ud. 16.* Responde conquerenti Christo, & eius Spiritui ingemiscenti.

FERIA QUINTA. DE DESIDERIO SANCTORUM PATRUM CIRCA ADVENTUM DOMINI.

*Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum. Is. 45.
 Desiderium suum Iustis dabitur. Prov. 10.*

VERI-

VERITAS PRACTICA.

Vix ullus est, qui non se verè putet desiderare Christum: & vix ullus est, qui Eum verè desideret.

RATIO, huius postrema pars, quæ sola potest habere difficultatem, hæc est, quòd verè desideranti, nunquam Christus possidendus denegetur.

Sed ex istis qui se verè putant desiderare Christum, vix ullus est, qui Eum unquam possideat. Ergo & vix ullus est, qui Eum verè desideret. Quod quàm sit legendum, patet.

I. PUNCTUM.

QUEM scripsit Moyses lege, & Prophetæ, hunc vehementer desiderabant antiqui illi Patres, quorum hæc sunt voces & desideria. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Vitam dirumpes cælos & descenderes, à facie tua montes defluerent.* Neque fuit inane eorum desiderium, sic enim desiderando & petendo, meriti sunt de congruo quòd petebant, ut ait S. Thomas. Atque hinc oritur Veritas valde consideranda, *Quòd vix ullus sit Christianus, qui non se verè putet desiderare Christum, magis ac magis possidendum, cum vix tamen ullus sit, qui verè eum desideret.*

Prima pars Veritatis nullam prorsus habet difficultatem. Quis enim est hominum, qui non appetat scire, aut qui sibi bene non velit? Quid est autem dignius? quid utilius? & quid beatius sive ad intelligentiam, sive ad voluntatem explendam, quàm quæ de Christo Dominò sciri & amari possunt? Longè enim veriùs, quàm de Elia, de Illo dici potest. *Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt.* Tu de te ipso quid sentis? Nonne etiam plura & plura de Illo sentire appeteres? Restat itaque declaranda postrema pars, quæ dicitur, *vix ullum esse tamen, qui Eum verè desideret.*

Neque verò maiorem habet difficultatem, quàm præcedens, si attentè consideretur quòd primò præmittitur expendendum, *Verè desideranti Christum nunquam negari; sic apertè Sapiens sub nomine Sapientiæ. Facile videtur ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui*

*quarunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit, assidentem enim illam foribus suis inveniet. Dignos se ipsa circum quaerens, & in visis ostendit se hilariter, & in omni providentia occurrit illi. Quid clarius? Sic Danieli præ aliis sunt indicatæ quædam particulares circumstantiæ mysterij Incarnationis, quia vir desideriorum es, inquit illi Angelus. Sic Simeoni seni se infans Jesus amplexandum dedit, quia senex infantem videre ante mortem vehementer desiderarat. Sic Moysi & Eliæ apparuit in Transfiguratione, quia faciem eius ardentius alijs expetiverant. Sic Zacharæ querenti videre Jesum quis esset, *Hodie, inquit, in domo tua oportet me manere.* Sic Magdalenæ ante omnes, atque alijs mulieribus ante Apostolos, dum resurgit se videndum præbet, quia illæ singularem præ se tulerant in eum curam & studium. Ac præclare quidem de S. Magdalena Divus Gregorius, *Quæ sicut prius, & nimè invenit; perseveravit ut quaereret, unde contigit ut inveniret; ædumque est ut desideria dilata crescerent, & crescentia caperent quod invenissent.* Sed & Thomas, inquit S. Bernardus, *juxta desiderium cordis eius palpatum se præbuit, & voluntate labiorum eius non fraudavit eum.* Atque universim de omnibus verè desiderantibus idem Sanctus concludens, *igitur, inquit, istiusmodi magni spiritus magnus occurrit Sponsus, & magnificabit faciem cum eum, emittens lucem suam & veritatem suam.* Vide sermonem integrum & præcedentem, qui toti sunt de hoc argumento? cum, ut ipse ait, *Per se ipsum dignatur intrare animum quaerentem se, quæ tamen ad quaerendum toto se desiderio & amore devovit. Et hoc signum istiusmodi adventus eius, sicut ab eo qui expertus est docemur, ignis ante ipsum præcedet. Optet namque ut sancti desiderij ardor præveniat faciem eius ad omnem animam, ad quam est ipse venturus, &c. Concaleat hoc ardore cor meum intra me, & in meditatione mea exardeat ille ignis.**

II. PUNCTUM.

SED ex istis qui se verè putant desiderare Christum, vix ullus est qui Eum unquam possideat.

Si de perfecta possessione, quæ in hac etiam vita haberi potest, ageretur, non esset mirum, quòd vix à quoquam possideretur ut possideri potest.

Is. 45.

Ibid. 64.

I. p. q. 2. a.

11.

Beesef. 48.

Sap. 6.

Dan. 9.

Luc. 2.

Mat. 17.

Luc. 19.

Marc. 16.

Hom. 25.

in Evang.

Serm. 32.

in Cant.

Serm. 31.

Psal. 96.

potest: cum & ipse Apostolus non se satis arbitretur comprehendisse, sed ultra pergens, *Phil.* Sequor, inquit, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Verùm de hac perfecta possessione non hic agitur, neque, tam fortè ex his sumus, quibus dolendum est deesse aliquid perfectionis, quàm ex iis quibus ipsa vix lucent Evangelij principia, nec quàm longè absint à Christo, norunt; ad quos aptè Apostolus: *Hebr. 5.* Et enim cum deberetis esse Magistri, propter tempus, rursus indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei. Quodnam est illud exordium sermonum Dei? quænam sunt elementa hujus exordij? Nonne hæc sunt quæ toties audivisti, & quæ nondum didicisti? *Matt. 5.* Beati pauperes spiritu. *Luc. 6.* Beati mites. Beati misericordes. Beati qui lugent, & qui patiuntur propter justitiam. *Va vobis divitibus. Va vobis qui ridetis nunc. Va cum benedixerint vobis homines. Beati cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint & dixerint, omne malum adversum vos, mentientes propter me. Benedicite maledicentibus vobis.*

Hæc sunt videlicet elementa & principia Christianæ quam profiteamur religionis; hæc est possessio Domini, & hoc testamentum Christi Jesu quem colimus; hæc est doctrina Magistri nostri; hæc est salutis via quam aperuit, hæc veritas quam docuit; hæc humana vita quam egit. Tanto quis nostrum magis aut minus illum possidet, quanto magis aut minus intellectu pratico capit, voluntate efficaci amplectitur, & memoria vigilanti recordatur illas primas Veritates, ut sese his totum intus & foris accommodet & conformet. *Ioan. 6.* Verba, inquit, quæ Ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. *Hebr. 4.* Hic sermo urvus & efficax, & penetrabilior omni gladio accipiti, & perstringens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum. Id est, sic ipse Christus in nobis manens in nobis operatur, prout à nobis possidetur, sic dividit appetitum à ratione, & rationem à gratia, ut eum eius verbis redimus, cum fidem factis ostendimus, cum denique vitam verè Christianam & Evangelicam vivimus. appetitus cedit rationi, & ratio Gratia. Hoc est possideri à Christo; hoc est Christum possidere. *Psal. 134.* Elegit sibi Dominus Israel in possessionem sibi.

Jam verò quis eorum, qui se verè putant Christum desiderare; sic Christum possidet?

Capisne tu, qui præ te fers tale desiderium, quale illud, quàm horrendum *Va divitibus, aut à mundo benedici?* An te beatum & fortunatum putas, cum malediceris, cum impugnetis? An omni petenti tribuis? An saltem parato vivis animo, sic te in omnibus gerere, qualem decet Christi discipulum? An putares studiosum alicujus artis bene possidere Authorem quem sequitur in illa arte discendi, si non magis eum possideret in usu & praxi, quàm tu Christum possideas in praxi Veritatum quas docuit? Vide vias tuas, vide sensus tuos interuos & externos. & vide quantum dissentiant ab Authore tuo. Vide in quantis tibi Apostolus diceret: *Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocui estis, sicut est veritas in Jesu, deponere vos secundum pristinam conversationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria errorum.*

Ephes. 4.

III. PUNCTUM.

HINC ergo aperte liquet, quòd vix ullus sit, qui verè Christum desiderat, tamen si vix ullus sit qui non se verè putet Eum desiderare. Cum enim verè desideranti nunquàm denegetur Christus, & tamen illum tam pauci possideant, ut vix ullus Eum in ipsis elementis Exordij sermonum eius percipiat, quantum ad praxim; certè non aliunde provenit, quàm quòd non verè desideret, quem se desiderare putat. Nam si de omni Justorum desiderio universim & absolute dicitur, *Desiderium suum justus dabitur. Animam esurientem satiavit bonis, & Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur: quanto magis id verum esse oportet de desiderio rei desideratissimæ, qualis est ille qui dicitur desideratus cunctis gentibus; qui est totus desiderabilis, seu, ut habent septuaginta, totus desiderium. Quantumcumque enim anima ipsum desideret, Ipse animam magis desiderat: Atque in hoc mutuo utriusque desiderio, quid est quod unionem & possessionem impedire possit?*

Prov. 10.

Psal. 106.

Matt. 5.

Agg. 2.

Cant. 5.

De hoc mutuo Sponsi & sponsæ desiderio, *Serm. 31.* præclare admodum S. Bernardus in Cantica, in *Cant.* inducens custodem Angelum lamenta sponsæ nuntiantem, & adventum sponsi renuntiantem. *Discurris medius, inquit, inter dilectum & dilectam, vota offerens, referens dona: excitat istam, placat illam.* Et quæ plura habet, ex quibus

quibus evidenter patet, quàm verum sit, verè desideratum Dominum possideri, aut si non possideretur, non verè desiderari.

Sed, inquires, se tamen illum desiderare sentiunt. At verò quis æget nos sæpe falli in nostris sensibus? Utrum magis adhibenda fides? an veritati sese ultro possidendam offerenti: an mendaci animæ dicenti se verè quærere nec invenire? Errant verò vehementer, & in hoc errant, quòd eorum desideria non sint satis ardentia, non sint satis pura, exclusis alijs, non sint satis digna Christo. Tale est bonum Dominus Jesus, ut ei capiendò dilatandus sit animi sinus, quod sit ardentibus & puris des-

iderijs. *Desiderium, sinus cordis est, inquit S. Augustinus, capiemus, si quantum possumus, extendamus. Itaque extendis sinum? Itaque, quantum potes, desideras? Itaque, quantum sanitate, quantum scientiam & honorem, sic tu Jesum desideras? O cordis humani probrum! quid desideras anima, nisi bonum? & quid melius Domino Jesu? Quid est humanum & terrestre, ad quod si solo desiderio perveniri posset, non libenter desiderares? Et ad Domini Jesu possessionem, unum sufficit desiderium, nec tamen adhibes? Confundere & erudire.*

Vide in 2. parte Fertiæ quintam Hebdomadæ sanctæ. Et in Indice, V. desiderium.

FERIA SEXTA.

DE SANCTISSIMA VIRGINE MARIA MATRE DOMINI, NOSTRI JESU CHRISTI.

*Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens:
pulchra ut luna: electa ut sol: terribilis ut ca-
strorum acies ordinata? Cant. 6.*

VERITAS PRACTICA.

Sicut omnis à Maria respectus, impossibile est ut pereat: Ita omnis ab Ea despectus, necessesse est, ut intereat.

RATIO EST, Quia idcirco omnium respectus ab Ea non perit, quia per Eam obtinet Gratiâ Finalis perseverantia cum qua nemo perit.

Sed omnium despectus ab Ea, privatur illa Gratiâ, qua quisquæ privatur, perit.

Ergo sicut omnium respectus ab Ea, impossibile est ut pereat, ita omnium despectus ab Ea necesse est ut intereat.

S. Bonav.
in part. I. l.
6. 5.

Quæ sententia est plurimorum sanctorum Patrum, & valde consideranda ad augendum cultum Beatissimæ Virginis Mariæ.

I. PUNCTUM.

PERPENDE Primò quod sanctissima Virgo tale est opus, ut sublimiores quæque mentes illud considerantes non nisi mirentur & dicant, *Quæ est ista?* Hinc sancti Joannis Chrysostomi celebre dictum, quòd qui Beatam Virginem non stupet, Deum nescit. Admirare, obstupescere.

Adverte secundo quod quatuor sunt veluti capita quòd referuntur cætera eius præconia, quæque in supradictis Canticum verbis continentur. Primum est Virginalis Maternitas quæ Aurorâ exprimitur, Secundum est, Gratiæ, amplitudo quæ per Lunam adumbratur; Tertium est Gloriæ singularis sublimitas quæ in Sole representatur. Quartum denique, amplissima potestas veluti *Castro-
rum acies ordi-
nata.*

nata. O vere admiranda in omnibus.

Tertio denique discas, qualis illi propterea cultus debeat, nempe singularis qui dicitur hyperdulæ supra omnes sanctos, infra solum Deum, unde sanctus Bernardus, *Nihil tibi, ô Domina, aequale, Nihil comparabile. Omne quod est, aut supra te, aut infra est; Supra te solus Deus: infra te, quod Deus non est.*

Ad hunc porro reddendum cultum, non parum conferet propositæ Veritatis consideratio, cujus hæc est prima pars omni acceptione dignissima; *Quod omnis respectus ab ea, impossibile est ut pereat, quia scilicet per eam, obtinet gratiam finalis perseverantiæ, cum qua nemo perit. Sic illa non obscure, Qui me invenierit, inveniet vitam, & habuerit salutem à Domino. In me gratia omni via & veritatis: in me spes vita & virtus.* Quod sic illustrat S.

Prov. 8.

Eccles. 24.

De excel.

Virg. c. 6.

Anselmus; *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine ejus quam invocato nomine D. Jesu: non quod ipsa major & potentior sit, nec enim ipse magnus & potens est per eam, sed illa per ipsum; quare ergo? Dicam quod sentio. Filius Dominus est & iudex omnium, discernens merita singulorum. Dum igitur ipse, à quo vult suo nomine invocatus non statim exaudit, profecto si iuste facit: invocatio autem nomine Matris, et si merita invocantis non mereantur, ut exaudiat; merita tamen Matris intercedunt ut exaudiat. Brevius Idiota. Quos saepe iustitia Filij damnare potest, Matris misericordia liberat. Fulissime vero sanctus Bernardus sermone de aquæ ductu, ubi postquam de Mediatrix interponenda ad Mediatorem egit, sic pergit: *Invenisti, inquit Angelus, gratiam apud Deum; feliciter; semper hac invenis gratiam. & sola est gratia quæ egeamus, sola est gratia quæ salvamur. Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus; quia quod quæris invenit, & frustrari non potest. Idemque alibi. In hoc convenienter vocatur Regina misericordia, quod divina pietatis abyssum cui vult, & quando vult, quomodo vult, creditur aperire, ut qui vult enormis peccator non pereat, cui sancta sanctorum suffragia sui patrocini præstat. Salve Regina, Mater misericordiz, vita, dulcedo & spes nostra salve.**

Serm. I.
in sa.
Reg.

II. PUNCTUM.

SED similiter omni ab ea despectus necesse est ut mereat, quia privatur illa gratia perso-

nantia, quæ quisquis privatur, perit.

Hoc enim unum & idem est despicere ab ea & privari gratia quam communicat alijs, sicut ab ea respici nihil aliud est quam respectus; sic adjuvari ut obtineant gratiam qua salventur; sic profus ab ea despicere nihil est aliud quam despectus à Filio & à Matre non ita adjuvari ut defectu similis gratiæ, mereant in peccato.

Et quidem horum perditionis causa est peccatum proprium sic divina in eos exigente Justitia. Sed cum illi pro quibus intercedit Mater misericordiz, etiam peccaverint, nec tamen perierint, cur alij potius puniti fuerint quam alij, curve potius interierint in peccatis, dici verè potest inde esse quod pro ipsis non intervenit eadem Mediatrix; ac proinde qui jam à Christo despectus est, sicque ab ea simul despicitur ut non adjuvetur; necesse est ut pereat, quia privatur gratia qua si donatus fuisset, non perisset, & qua donatus fuisset si ab ea respectus esset. Sic est voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam. O Mariæ dignitatem, & Mariæ potentiam!

S. Bern.
ser. 1. de
Nativis.

III. PUNCTUM.

SICUT ergo omni à Maria respectus impossibile est ut pereat, ita omni ab ea despectus necesse est ut mereat.

Mere gratuita est illa perseverantiæ gratia, mere gratuitum donum quod nemo hominum mereri potest, ut certo obtineat; multi autem ac pene omnes suis merentur peccatis ut eo priventur, sicque merito unicuique timendum est, quod nisi adjuvetur ab Ea cui nihil recusat, omnino pereat. Sic omnino sanctiores quique sentiunt. Sanctus Ephrem antiquus & valde probatus auctor, *Intemerata, inquit, prorsusque pura, virgo Despara, spes desperantium, tu portus procellis vexatorum, solatium mundi, & omnium salus, sub alis tuis custodi me, & protege, non mihi alia fiducia. Virgo sincera.* S. Joannes Chrysostomus: *Per hanc peccatorum veniam consequimur. Ave igitur mater, cælum & cæ. assidue pro nobis precare Jesum filium tuum, ut per se misericordiam invenire possimus.* S. Augustinus: *Tu es spes unica peccatorum, per se speramus veniam delictorum & in te Beatissima, nostrorum est expectatio preciorum.* Sanctus Bernardus: *Fi lioli, hæc peccatorum sola, hæc mea maxima fida.*

S. August.
l. de persév.
c. 1.

22. q. 137.
a. 4.

Serm. de
S. Desp.

Apud
Metaph.

Serm. 18.
de sanctis.

Serm. de a.
qua ducta.
fida.

Opusc. de
salut. An-
gel.
S. lo. Dam.

fiducia est. S. Thomas: Sicut navigantes per stel-
lam diriguntur ad portum, ita Christiani per
Mariam ad Salutem gloriam. Alii, quia longio-
res sunt, reticentur.

Hic tu quid agas miser peccator? non illam

coles à qua te ita pendere intelligis, ut vix ali-
ter sit speranda salus? sed in quo ejus cultus?
Quid cum promoveri? Quid retardat? Hæc in-
vestiga diligentius, & te illi totum offer.

orat. de
Nat. B. V.
S. Bonav.
in phara-

SABBATO.

DE SANCTO IOSEPHO SPONSO VIRGINIS MATRIS.

*Ite ad Ioseph, & quicquid ipse vobis dixerit,
facite. Genesis 41.*

VERITAS PRACTICA.

Melius itur ad S. Ioseph imitatione Virtutis e-
jus, quam laude.

RATIO EST, Quia quod melius à nobis colitur
S. Ioseph, eò melius ad eum itur.

Sed melius imitatione virtutum colitur, quam
ulla laude.

Ergo sic melius ad eum itur. Ac proinde quan-
tum necesse est eum adire, tantum est imitari.

I. PUNCTUM.

NOTA est historia Patriarchæ Iose-
phi, filii Jacob quem fratres vendide-
runt, quique in Ægypto tam glorio-
sus fuit, ut ad eum cuncti Ægyptij in-
opia laborantes à Rege mitterentur: *ite ad Ioseph.* Nunc vero idem nobis à Deo dictum pu-
temus de S. Ioseph quem sic honorare decre-
vit, ut cum magis laboramus tum ad eum præ-
sertim sublevandi mittamur. Cum sint autem
ejus ad eundem tres præcipuæ viæ seu modi lau-
de, prece, & imitatione virtutum. Hic posterior
est alijs præferendus, & verè melius itur ad
eum imitatione ejus virtutum, quam laude vel
ulla prece.

Nam quid est illum adire nisi colere, nisi si-
bi eum demereri & propitium reddere? hoc est
enim quod intendit Deus, *Sic honorabitur*

quemcumque volueris Rex honorare. Unde id
sequitur quod quam perfecte eum coles, tam
perfecte adibis. Salve Patriarcharum Decus &
Ecclesiæ sanctæ Dei Oeconomus, cui panem
vitæ & frumentum electorum conservasti.

II. PUNCTUM.

Sed melius imitatione virtutum colitur S. Ioseph, quam ulla laude vel prece.

Nam cum omnis honor & cultus proveniat
ab æstimatione quam facimus de eo quem ho-
noramus: quanto apertius erit signum meæ de
Sancto æstimationis, tanto erit major illius
cultus: Longè autem apertius erit signum cum
ejus virtutes imitabor, quàm cum laudavero;
nam facta præstant verbis. Qui tantum laudat
nec imitatur, dubiam facit laudationem, cur
enim non opere exprimit, quod sermone? At ve-
rò qui imitatur, etiam si non laudat verbis, o-
pere ipso magnificat. Hinc sanctus Joannes
Chryostomus sermonem egregium scripsit
de Martyribus quod vel laudandi non sunt, vel
imitandi. *Quoniam, inquit, quem delectet sancti
alicujus meritum, delectare debet par circa cul-
tum Dei obsequium: quare aut imitari debet si
laudat, aut laudare non debet si imitari deire-
bat.*

Adde quod ipsi sancti in obsequiis nostris
magis spectent gloriam Dei & nostram salu-
tem, quam sui yenerationem; Est autem Deo

C 2

glo,

Serm. 5. de
fest. omn.
Sanct.

Hebr. 13.

gloriosius & nobis utilius eos imitari quam laudare. Non quod à nobis laudandi non sint, sed quod magis etiam imitandi. Sic apud sanctus Bernardus. *Ad quid sancti laus nostra? Ad quid glorificatio nostra? quò eis præconia nostra? pleni sunt, bonorum nostrorum non egent, nec quicquam eis nostra devotione præstatur. Plane quò eorum memoriam veneramur, nostra inter-est, non ipsorum. Quasi diceret, magis coluntur, magisque sibi gratificatum putant, si ipsorum præclare gesta factis confitemur quam verbis, Quorum intrantes exitum conversationis, inuitamini fidem, inquit Apostolus. O vera charitas quæ non querit quæ sua sunt.*

III. PUNCTUM.

MELIUS ERGO IUR AD SANCTUM IOSEPH, IMITATIONE VIRTUTUM, Cum sic melius colatur & honoretur: sic melius obtineatur quod queritur. Itæ ad Ioseph & quodcumque dixerit vobis, facite. Quid est autem quod dicit nobis faciendum, nisi quod ipse fecit? Quid porò est quod ipse fecit? quænam eius virtutes quas imitemur? discas ex hoc quadruplici capite.

Primum, quod fuerit Sponsus sanctissimæ Virginis, ac proinde illi quam simillimus; Nam in conjugio perfecte instituto, conjuges sic sibi similes esse debent, ut nulla eorum dissimilitudine dissentiant. Fuit autem hoc Mariæ & Ioseph conjugium divinitus factum, ac proinde perfectum quantum ad hanc animorum & vitæ conformitatem. O qualem igitur oportuit fuisse sanctum Ioseph? Qualis scilicet erat Maria.

Secundum, quia Pater fuit D. N. Jesu Christi à quo educaretur, regeretur, & cui se Dominus regendum daret, velut ipsi Deo Patri, unde se-

quitur S. Iosepho omnes Dei voluntates notatas fuisse ex quibus regeret Filium sibi commissum, & ex quibus Pater ipse Nutritius dirigeretur ut facilius infantem regeret. O vere virum secundum cor Dei, qui faciat omnes voluntates ejus.

Tertium, quia Contubernalis Jesu & Mariæ per triginta fuit annos, ex quorum quotidianâ familiaritate quas non hausit virtutes? Nam de Unoquoque eorum verè dici potest quod Sapiens dicebat de Sapia: *Sciens quoniam mecum communicabit de bonis. Et praeclaritas in communicatione sermonum ipsius.* Sap. 8.

Quartum denique caput peti potest ex iis quæ de eo referunt Evangelistæ, in quibus insignis elucet iustitia, cum dilectam Sponsam in tam ancipiti dubio de ejus graviditate tam suaviter habuit. *Obedientia*, cum tam promptè ipsâ hora qua monitus ab Angelo fuit, secessit in Aegyptum. *Patientia* in tantis rerum angustis. *Humilitas* in religiosissimo silentio. *Renunciatio* sive Abnegatio perfecta omnium, cum non modo patria, parentes, domus, suppellex & omnia deserenda fuerunt, dum infans esset Jesus; sed quando factus est vir, quando ad tricesimum vitæ annum prædicare Christus cepit: o quæ tum desideria Iosephum Patrem movere poterant ut Filium prædicantem audiret! sed moriendum fuit, & libenter desinit vivere cum jam vitæ ipsius non egeret Filius, propter quem solum vivebat Pater.

Hæ sunt Virtutes imitandæ; & tùm earum aliquis exercendus actus cum ad te desideras sanctum Ioseph. Adverte quid jam possis ejus exemplo, in quibus pati, humiliari, & abnegari.

Vide infra in Vigilia Nativitatis Domini, & die decima Januarii, ac undecima.

